



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Tertium Exercitium Christianæ Pietatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

manus tuas Domine commendo spiritum meum.

TERTIUM EXERCITIUM
CHRISTIANÆ PIETATIS.

*Oratio Divini Oratoris Domini nostri
JESU CHRISTI:*

Præceptis salutaribus, & Divina institutione formati, audemus dicere

PATER NOSTER.

DEUS, unus, trinus, omnipotens? tu es Pater omnium hominum, per creationem, quâ nos omnes ad imaginem tuam mirabiliter formasti. Tu es Pater omnium Christianorum per regenerationem, quâ omnes Sacro Baptismate in Christo renatos mirabilius reformasti, & ejus membra mystica Sancto Spiritu vivificata Divinitus effecisti. Tu es Pater electorum in dilecto, dilecto Deo. Homine illustrissimo Exemplari prædestinatorum, ad vitam æternam; qui tibi similes erunt

in gloriâ tuâ, quando adimplebis eos gaudio tuo, & omni bono; ostendens illis vultum tuum, essentiam tuam, quam revelata facie in æternum contemplabuntur, sibi in illa complacentes, sicut tu in illis; ô Beata Trinitas Deus, unus, trinus, omnium principium & finis, omnes electos tuos Beatos in te solo reddens, ô Pater noster.

Qui es in Cælis.

QUAMVIS ubique sis præsens per essentiam, potentiam, & immensitatem, in Cælis tamen Beatorum; ut in Throno Majestatis tuæ resides: ubi omnes qui ibi sunt & erunt, Divinitatem tuam in Trinitate, sicut est in se intuitivè videbunt & contemplabuntur in perpetuas Æternitates: quâ visione, dilectioni, & fruitioni tuæ indivisim conjunctâ; omnes contemplatores, amatores, & possessores tuos beabis; & omni bono ac gaudio cumulabis, in sæculum sæculi.

Tu es in Cælis Ecclesiæ tuæ militantis, in Templis tibi Soli Deo, uni, trino, dicatis, ubi substantialiter abs-

conditus continetur in Eucharistico Sacramento, totus Christus Rex Glorix, Cœlum cœli, Dominus Cœlorum omnium. Tu es speciali quodam ineffabili & verissimo modo in omnibus justis, qui sunt in Cœlis, & super terram; qui Sancto Spiritu tuo vivificati, sunt Cœli tui mystici, in quibus jucundissimè habitas, & te illis communicas, & es omnia in omnibus.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

IN gentibus, quæ te ignorantes, sanctum tuum Nomen non invocant. Sanctificetur in mundi amatoribus, & in omnibus, qui se Christianos verbis profitentes, vel non credunt in corde, vel fidei veræ, corruptis moribus, & factis impiis contradicunt; per quos Nomen tuum blasphematur in gentibus. Sanctificetur in dies magis in spiritualibus adoratoribus tuis, ut de virtute in virtutem, in sanctitate & justitia coram te semper procedant, crescant & proficiant, usque ad perfectum diem gloriæ suæ in sinu divinitatis tuæ.

II. *Adveniat regnum tuum.*

Per abbreviationem dierum malorum regni iniquissimi Principis hujus mundi, in maligno positi.

Per propagationem regni Christi **JESU**, Ecclesiæ suæ militantis, ut prædicetur Evangelium ejus in universo mundo.

Per gloriosum adventum Regis Regum omnium Judicis, qui reddet unicuique secundum opera ejus: accende in cordibus tuorum, ardentissimum desiderium, videndi Regem Gloriæ, in Throno Majestatis suæ, super omnia ad Patris dexteram exaltatum.

III. *Fiat voluntas tua: sicut in Cælo, & in terra.*

Fiat in hominibus de terra terrenis peregrinantibus à te voluntas tua, bona, beneplacens, & perfecta; sicut fit in cælestibus intelligentiis, & in animabus beatis: quæ nil volunt nisi quod vis; sicut vis, & quia vis, nihil ultra desiderantes.

IV. *Panem nostrum quotidianum
da nobis hodie.*

Panem rerum necessariarum, ad hanc vitam mortalem, quantum expedit ad gloriam tuam conservandam tibi. Panem verbi tui, quo mentes nostræ æternis veritatibus absconditis à sapientibus & prudentibus, illuminentur de die in diem, & corda piis affectibus, & ardentibus desideriis divinæ tuæ dilectionis accendantur; maximè verò da panem illum cælestem supersubstantialem, ipsum omnium bonorum, omnis gratiæ & gloriæ auctorem continentem, in se substantialiter: quo vescentes quotidie post congruam nostri probationem; in ipsum, qui est vita nostra, per Eucharisticam communionem, transformati, ac divinitate & humanitate ejus saginati: non vivamus nisi per ipsum, sicut ipse, & propter ipsum, in te Deo vitæ nostræ.

V. *Et dimitte nobis debita nostra;
sicut & nos dimittimus debi-
toribus nostris.*

DE cordibus nostris, nulli red-
dentes malum pro malo, orantes
pro persequentibus nos; benefacien-
tes propter Nomen tuum: iis qui ode-
runt nos gratis. Dimitte igitur debita
nostra, quæ contraximus tripliciter,
cogitatione, verbo, & opere, sive
omissione bonorum quæ præcipiebas,
sive commissione malorum quæ veta-
bas, sive ex ignorantia, sive ex mali-
tia, sive ex fragilitate; sicut & nos
omnia omninò dimittimus debitoribus
nostris, ut misericordiam tuam con-
sequamur.

VI. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Concupiscentiæ carnis, concupif-
centiæ oculorum, & superbiæ
vitæ, quæ semper nos ad peccatum al-
liciunt, & ab ipso maligno spiritu ac-
cenduntur. Ne ergo finas nos succum-
here tentationi, quâ inimici nostri

visibiles & invisibiles, extra & intra nos conantur separare tuos à te: da nobis, gratiam illam magnam, cum quâ legitimè certantes vincemus omnia, quæ militant adversus animam.

VII. *Sed libera nos à malo.*

PRæterito, cujus plagæ tantò sunt periculosiores, quantò minus sentiuntur à nobis; præsentis, quo gravamur: & futuro quo involvemur; nisi singulari tuo auxilio arceantur à nobis.

Amen.

ITa fit, ita fiat, sic à te exaudiamur, bonis tuis cumulemur, ab omnibus malis eripiamur & liberemur, ut tibi soli Deo, uni, trino, vivamus, & sis solus omnia in tuis omnibus.

Ex intelligentiâ hujus Orationis Dominicæ, patet omnes ejus petitiones sic esse à Christo, Divino Oratore nostro ordinatas: ut à Dei Patris nostri cælestis infinitâ bonitate obtineamus donum perseverantiæ finalis in gratia

& charitate ejus, quâ introducatur
in vitam æternam: de hac perseve-
rantia dixit Christus, qui persevera-
verit, usque in finem: hic salvus erit.

SALUTATIO
ANGELICA.

HÆc Salutatio à Spiritu Sancto
dictata: composita est, ex ver-
bis Sancti Archangeli Gabrië-
lis, Sanctæ Elizabeth, Matris præ-
cursoris Verbi Incarnati, & ex
Verbis Sanctæ Ecclesiæ: quæ il-
lam ita ordinavit, ut per interces-
sionem potentissimam Dei Genitri-
cis Virginis MARIÆ, Advocata
nostræ apud Sanctissimam Triad-
dem, obtineamus facilius, & abun-
dantiis, quæ à Patre nostro cælesti,
Deo, uno, trino, petimus, per Ora-
tionem Dominicam: cui proindè im-
mediatè subnectitur hæc Salutatio An-
geli, Elizabethæ, Ecclesiæ Sanctæ:
ut autem sapienter, piè, & reveren-
ter; spiritu, & mente, ex abundan-
tia cordis, Matrem illam admirabilem,
Reginam Angelorum & Sanctorum
omnium

omnium Dei Genitricem salutemus,
omnes animæ illuminatæ potentias, di-
latemus in congregatione Sanctorum.

Ave Maria.

Domina exaltata super omne quod
Deus non est, illuminata à princi-
pio creationis tuæ, in initio viarum
tuarum, primogenita inter omnes
creaturas puras: tu una supergressa
es universas, ideo omnium nomine te
saluto: *Ave Maria.*

Gratia plena.

Triplici plenitudine, in quam se
infundit, tota plenitudo gratia-
rum: auctoris gratiæ, solis justitiæ, Re-
gis Gloriæ, Sancti Sanctorum Gratia
plena ab initio Immaculatæ Concep-
tionis tuæ, primo illo momento luci-
dissimo, quo gratiosa, & Sancta, ac
charitate tota ignita anima tua, creata
est à Deo: & unita Corpori tuo Virgi-
nali, Cœlis & Spiritibus Beatis purio-
ri, gratiæ plenioris abundantia super-
impleta, in Conceptione Verbi Incar-
nati in te, & ex te solâ de Spiritu San-
cto concepti.

Gratiâ plenissimè cumulata, in ultimo sanctissimæ tuæ vitæ mortalis momento, & transitu ad immortalem.

Dominus tecum.

Qui te ab æterno, inter omnes Personas creatas & creandas singulariter dilectam, elegit, electam prædestinavit, prædestinatam vocavit ad consummandum in te, per te, & tecum opus novum omnium suorum operum Divinissimum, Verbi Incarnati ex te mysterium: maximum sapientiæ, omnipotentia & pietatis Divinæ Triadis Sacramentum. Quod enim natum est ex te Sanctum, vocatum est Filius Dei, unigenitus Patris Virginis: idemque unigenitus tui sinus virginalis, qui sic fuit tecum ab initio, Dominus tuus & Deus tuus, semper est & erit tecum: & tu cum illo, dilectus tuus tibi, & tu illi; in te in æternum commorabitur, qui est in te omnia.

Benedicta tu in mulieribus.

TU omnium omninò, in te unâ: quæ in universas sunt dispersæ

Benedictiones, gratiæ, perfectiones,
 perfectissimè colligis & supereminen-
 ter possides, & quod unicum tuum
 est privilegium, gaudia Matris habes.
 Cum Virginitatis honore, semper Vir-
 go in æternum manens, Dei Genitrix
 verè Dei-para, Mater admirabilis, quia
 non est impossibile apud Deum omne
 Verbum: Beata quæ credidisti, &
 quem genuisti ex te, in spiritu & veri-
 tate adorasti, atque ex toto dilexisti.

Benedictus fructus Ventris tui JESUS.

OMnis tuæ Benedictionis, origo,
 fons, principium, medium, finis,
 gaudium & corona tua Deus-Homo,
 totus tuus, Emmanuel tuus.

*Sancta Maria Mater Dei: ora pro
 nobis peccatoribus nunc, & in hora
 mortis nostris. Amen.*

IMpetra mihi & omnibus, qui te
 mecum invocant tres magnas gra-
 tias, 1. Remissionem peccatorum om-
 nium, 2. Magnum gratiæ in dies in-
 crementum, 3. Et finalem in consum-
 mata charitate perseverantiam. Amen.

TRES-ORATIONES

*Sancta Mechtildis ad B. Virginem Dei
Gentricem pro obtinenda felici morte.*

I.

O Domina mea Sancta MARIA:
Dei Genitrix Virgo sicut Deus
Pater, per Omnipotentiam
suam, te potentissimam effecit: ita
mihi quæso adsis in hora mortis meæ,
expellendo à me omnem contrariam
potestatem. *Ave Maria.*

II.

O Domina mea Sancta MARIA:
Dei Genitrix Virgo, sicut te Fi-
lius Dei, unigenitus tuus, tanta sui
cognitione donavit: ita in hora mortis
meæ animam meam, fidei luce sic il-
lustrari, & corroborari intercede, ut
nullo errore aut ignorantia pervertatur.
Ave Maria.

III.

O Domina mea Sancta MARIA:
Dei Genitrix Virgo, sicut Spiri-
tus Sanctus, suum amorem tibi plenè
infudit, ita in hora mortis meæ dul-

cedinem amoris Divini, mihi infundi
præcare, ut omnis amaritudo mihi red-
datur suavissima, & Divinâ gratiâ robo-
ratus omnia vincam. *Ave Maria.*

Audi Verbum Verbi Dei Incarnati
JESUS-CHRISTI Crucifixi, tibi
dicentis:

Ecce Mater tua.

MARIAM Virginem Dei Geni-
tricem, accipe in tuam: illam
honora, dilige; cole, invoca, glori-
fica, usque in finem vitæ tuæ, obti-
nebit tibi felicem mortem optima Ma-
ter.

SELECTÆ ORATIONES
ECCLESIAE MILITANTIS.

*Hymnus & Oratio ad obtinendum Prin-
cipibus Christianis, & omnibus fide-
libus Spiritum Sanctum, Patris &
Filii Æternum Vinculum, & omnis
Sancti fœderis firmamentum.*

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris,

Donum Dei Altissimi,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei, tu digitus,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri Corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.

Gloria Patri Domino,
Natoque, qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito,
In sæcula sæculorum. Amen.

ÿ. Emitte spiritum tuum, & crea-
buntur,

℞. Et renovabis faciem terræ.

I. O R A T I O.

DEUS qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere; & de ejusdem semper consolatione gaudere: Per Dominum nostrum **JESUM-CHRISTUM**, qui tecum vivit & regnat, in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

II. O R A T I O.

*Ad obtinendum firmitatem, in fide
Sanctissimæ Trinitatis.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei, **Æternæ Trinitatis** Gloriam agnoscere; & in Potentiâ Majestatis adorare Unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus muniamur adversis: Per Dominum nostrum **JESUM-CHRISTUM**, filium tuum qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

III. ORATIO.

*Ad obtinendum libertatem Filiorum
Dei, per novam Nativitatem
unigeniti Patris.*

Concede quæsumus omnipotens
Deus, ut nos unigeniti tui, no-
va per Carnem Nativitas, liberet, quos
sub peccati jugo, vetusta servitus te-
net: qui tecum vivit & regnat, in
unitate Spiritus Sancti Deus. Amen.

IV. ORATIO.

*Ad obtinendum visionem Beatificam
Divine Trinitatis.*

Deus qui Unigenitum tuum, gen-
tibus, stellâ duce revelasti: con-
cede propitius, ut qui jam te ex fide
cognoscimus, usque ad contemplan-
dam speciem tuæ Celsitudinis perdu-
camur: Per eundem Dominum no-
strum JESUM-CHRISTUM, filium
tuum, qui tecum vivit, & regnat in
unitate Spiritus Sancti Deus. Amen.

V. ORATIO.

*Ad obtinendum per Eucharistiam, per-
petuum fructum nostræ Redemptionis.*

Deus qui nobis sub Sacramento
mirabili passionis tuæ memoriam

reliquisti; tribue quæsumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus: qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus.

V I. O R A T I O.

Ad obtinendum perpetuum timorem, & amorem Dei super omnia.

Sancti Nominis tui Domine, timorem pariter & amorem, fac nos habere perpetuum; quia nunquam tuâ gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis: Per Dominum nostrum **JESUM-CHRISTUM**, filium tuum, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus. Amen.

V I I. O R A T I O.

Ad obtinendum sessionem ad dexteram Christi in die ultimi Judicii.

Domine **JESU-CHRISTE**, qui de Coelis ad terram de sinu Patris descendisti, & Sanguinem tuum pre-

tiosum, in remissionem peccatorum,
nostrorum fudisti, te humiliter depre-
camur, ut in die iudicii, ad dexteram
tuam, audire mereamur, venite Be-
nedicti: qui vivis & regnas, cum Deo
Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus,
per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sanctissima Trinitas unus Deus, ad
majorem gloriam Nominis tui: per ma-
gnam infinitæ pietatis tuæ Sacramen-
tum, in Deo-Homine JESU-CHRIS-
TO, omnium hominum, maximè fide-
lium Salvatore, consummatum: mi-
serere nobis, dele omnia peccata no-
stra: ne permittas nos separari à te, sed
invocantes te, confirmas in gratiâ tuâ; &
jube nos, in electorum tuorum grege
numerari: ut in Æternum fruamur te,
Deo, uno, trino, qui solus es qui est
Deus noster & omnia. Amen.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui
Sancto: Sicut erat in Principio, &
nunc & semper, & in sæcula sæculo-
rum. Amen.

✠
Mlites Christiani, qui pro gloriâ
Crucis Christi Deo exercituum,
impellente ad Bellum Sacrum, contra

Ecclesiæ militantis inimicos. procedunt: æmulari debent Sanctos Martyres, omni desiderio exoptando totum Sanguinem effundere pro Imperatore suo optimo, Rege Regum **JESU-CHRISTO**, qui in Cruce semetipsum obtulit pro omnibus: proponant igitur sibi quotidie Exemplum Regis Martyrum, & omnium qui pro ejus Nomine sanguinem suum effuderunt: illorum Heroum magnanimis actibus semetipsos compellant, ad præliandum prælium Domini cum lætitia, ut faciebant generosi Machabæi: quos non solum imitatus est, sed etiam superavit Sanctus Mauritius, Mars Christianus, cum suis: nunquam enim tam fortiter, pro sua urbe Hebræus aut Romanus miles, quam pro fide Catholicâ Romanâ, Tebææ Legionis Dux decertavit. Enimvero stetit immobilis, inermis & nudus, in acie cum suis commilitonibus Mauritius, palo alligatus, melle illitus, innumeris vesparum aculeis confusus, & tamen vel sic, triumphator vicit; in parvis bestiolis maximum tyrannum; mortemque demum

obiit melle quo manabat dulciorem.
 Triumphos Martyrum fidelibus
 suis, ponit ob oculos, Ecclesia mili-
 tans in terris, sub Christi vexillo, ut
 illos imitari non pigeat quod celebra-
 re delectat.

Audiant ergo generosi Milites ad
 Sacrum Bellum vocati; verba exhor-
 tatoria Sponsæ Regis Martyrum Chri-
 sti J E S U, omnium Christianorum
 Imperatoris.

Sanctorum meritis inclita gaudia,
 Pangamus focii, gestaque fortia,
 Gliscens fert animus promere cantibus
 Victorum genus optimum.

Hi sunt, quos fatuè, mundus abhorruit,
 Hunc fructu vacuum, floribus aridum,
 Contempsere, tui nominis affectæ,
 J E S U Rex bone Cœlitum.

Hi pro te furias, atque minas truces,
 Calcarunt hominum, sævaque verbera,
 His cessit lacerans, fortiter ungula,
 Nec carpfit penetralia.

Cædantur gladiis more bidentium,
 Non murmur resonat, non querimonia,
 Sed corde impavido, mens bene conscia
 Conservat patientiam.

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere?
 Quæ tu Martyribus munera præparas?
 Rubri nam fluido Sanguine fulgidis
 Cingunt tempora Laureis?

Te summa ô Deitas, unaque poscimus,
 Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
 Des pacem famulis, ut tibi gloriam,
 Annorum in seriem canant. Amen.

Trinitas Divina, Deus, unus, tri-
 nus, qui nos Sanctorum Martyrum,
 tuorum Triumphis lætificas, concede
 propitius, ut quorum gaudemus me-
 ritis, accendamus exemplis: Per JE-
 SUM-CHRISTUM Dominum nostrum.

H Y M N U S

Sancti Ambrosii & Augustini.

TE Deum laudamus, te Domi-
 num confitemur,

Te Æternum Patrem, omnis terra
 veneratur,

Tibi omnes Angeli, tibi Coeli & Uni-
 versæ potestates,

Tibi Cherubim & Seraphim, inces-
 sibili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus
 Deus Sabaoth,

Pleni sunt Coeli, & terra Majestatis
 gloriæ tuæ,

Te gloriosus Apostolorum chorus,
 Te Prophetarum laudabilis numerus,
 Te Martyrum candidatus, laudat
 exercitus,
 Te per orbem terrarum, Sancta con-
 fitetur Ecclesia,
 Patrem immensæ Majestatis,
 Venerandum tuum, verum & uni-
 cum Filium,
 Sanctum quoque Paraclitum Spiritum,
 Tu Rex Gloriæ Christe JESU,
 Tu Patris, sempiternus es Filius,
 Tu ad liberandum suscepturus homi-
 nem,
 Non horruisti Virginis uterum,
 Tu devicto mortis aculeo, aperuisti
 credentibus regna Cœlorum,
 Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria
 Patris,
Judex crederis esse venturus,
Te ergo quesumus tuis famulis subveni,
quos pretioso sanguine redemisti,
 Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria
 numerari:
 Salvum fac populum tuum Domine,
 & benedic hereditati tuæ,
 Et Rege eos, & extolle illos usque in
 æternum,

Per singulos dies benedicimus te, &
 laudamus nomen tuum in sæculum,
 & in sæculum sæculi,

*Dignare Domine die isto sine peccato nos
 custodire,*

Miserere nostri Domine, miserere no-
 stri,

Fiat misericordia tua Domine super
 nos, quemadmodum speravimus
 in te,

*In te Domine speravi, non confundar
 in Aeternum.*

Pater, Verbum & Spiritus Sanctus,
 hi tres unum sunt.

Omnes omnino creaturæ, qua si non
 sint: sic sunt coram Deo, uno, trino,
 & quasi nihilum & inane, reputatæ
 sunt ei, qui solus est, qui est. Soli ergo
 Deo, uni, trino, omnis honor, amor
 & gloria. Amen.

